

VITA

1. <D.> Iunius Iuvenalis, libertini locupletis incertum est filius an alumnus, ad mediam fere aetatem declamavit animi magis causa quam quod scholae se aut foro praepararet. 2. deinde paucorum versuum satira non absurde composita in Paridem 5 pantomimum poetamque eius semenstribus militiolis tumentem genus scripturae industriose excoluit et tamen diu ne modico quidem auditorio quicquam committere ausus est. 3. mox magna frequentia tantoque successu bis ac ter auditus est, ut ea quoque quae prima fecerat inferciret novis scriptis (VII 90) 10

'quod non dant proceres, dabit histrio. tu Camerinos et Bareas, tu nobilium magna atria curas? praefectos Pelopea facit, Philomela tribunos.'

4. erat tum in deliciis aulae histrio multique fautorum eius cottidie provehebantur. 5. venit ergo Iuvenalis in suspicionem, 15 quasi tempora figurate notasset, ac statim per honorem militiae quamquam octogenarius urbe summotus est missusque ad praefecturam cohortis in extremam partem Aegypti tendentis: id supplicii genus placuit, ut levi atque ioculari delicto par esset! verum intra brevissimum tempus angore et taedio periit 20 (*v. Append.*).

Codd. adhibiti: pHVUK, Vindob. 277, Vatic. Urb. 342; Valla] 2 DECIM sscr. VSH (*ex subscr. pet.?*) om. rell. est om. KH Valla 4 se U Valla, ante scholae H, post praep- Urb., om. rell. dein U et dein Valla 6 eius om. K Valla tumentem] emitantem Valla (*ex con.?*) 7 industrie Valla tamen] bene U tam sscr. vel bene H tamen bene K Valla ne modico] non U 8 est ante ausus p, om. Valla 9 tantoque] magnoque p ac] aut HUK Urb. Valla est om. Valla 10 scripturis HU 14 tunc Valla 16 figura Valla 17 semotus U 18 extrema p Aegypti ante partem U Valla, post tendentis pH tendentis] occid- U 20 ac Valla